



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Directo-||rvm Exercitio-||rvm Spriritva-||livm P. N.|| Ignatii**

**Acquaviva, Claudio**

**Ingolstadii, 1592**

**VD16 A 125**

Capvt XV. De electione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60966](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60966)

84      *Direct. Exercit. Spirit.*

ditatio, quæ fit media nocte, & retineri  
aliæ quatuor horæ.

Potest etiam in hac hebdomada, &  
sequentib. post absolutas meditationes,  
reliquo tempore legi aliquis liber, sed  
eiusmodi, qui pietatem potius nutriat,  
quam intellectum nouitatibus exerce-  
at, ut sunt aliqua ex operibus S. Bernar-  
di, vel Gerson de imitatione Christi,  
vel Granata. Si vero liber hic contine-  
ret aliquem tractatum de Christi my-  
steriis, non expediret, ut ea legerentur,  
de quibus postea faciendæ sunt medita-  
tiones, sed de quibus iam factæ sunt, vel  
quæ eo die sunt faciendæ.

Quod attinet ad visitandum eum,  
qui exercetur, semel saltem esset visi-  
tandus in die, excepto tempore electio-  
nis, quo tempore solent incidere fre-  
quentiores desolatiōes & perplexitates,  
quæ crebriorem visitationē requirunt.

*De electione.*

## CAPVT XV.

**I**N OMNIBVS exercitiis nullus est  
difficilior locus, aut qui maiorē dex-  
teritatem, & discretionem spiritualem  
requi-

requirat, quam electionis, quoniam hoc tempus expositum est diuersis motibus animi, & saepe etiam erroribus, cum homo non solum a malo vincatur, sed plerunque etiam boni, & recti imagine fallatur.

IN HAC ERGO materia illud ante omnia intelligendum videtur, & ante oculos tenendum, quanti referat eligere statum vitae. Nam si homo, ut rationalis, debet omnibus suis actionibus ponere finem congruentem rationi, Christianus autem debet omnia opera sua dirigere ad finem supernaturalem: si haec ergo in singulis actibus fieri debent, quanto magis in capiendo statu, ex quo scilicet consequuntur fere omnia opera vitae nostrae, ita ut si finis ipsius status sit vitiosus, ea etiam quae ad finem consequuntur, oporteat esse vitiosa. Deinde, ut in corpore animalis plura sunt membra, neque omnia membra sunt oculus, aut omnia pedes, ut ait S. Paulus: ita in hoc corpore Ecclesiae oportet esse varios gradus, & status. Huius autem divisionis, & partitionis auctor est Spiritus sanctus, ad quem perti-

pertinet singulis suum locum tribuere.  
Vnde Apostolus eodē loco: diuisiones  
gratiarum sunt, idem autem spiritus, &  
diuisiones ministeriorū sunt, idem au-  
tem dominus, & diuisiones operatio-  
num, idem vero Deus, qui operatur  
omnia in omnibus. Ex quo constat, vt  
famuli à suo domino suo quisque ope-  
ri ac muneri destinantur; sic homines  
à Deo; ac proinde non debere homi-  
nem impedire in se ipso id, quod Deus  
in eo, & de eo agere vult, sed oportere  
vt ei fideliter seruiat in quacunque re  
eius maiestas voluerit. Accedit etiam  
propria utilitas, eaque magna, quoniam  
pertinet ad salutem æternam. Nam et-  
si Deus nemini negat auxilium neces-  
sarium ad salutem, tamen non est du-  
biū, quin iis multo abundantius gra-  
tiam suam, & lumen atque opem com-  
municet, qui non se in aliquem vitæ  
statum ex libito suo intruserunt, sed  
eum elegerunt, quem præmissa diligen-  
ti consideratione putarunt esse iuxta  
diuinum beneplacitum. Denique si nos  
in tanta re nostro iudicio, ac placito gu-  
bernare velimus, facile in maximos &  
maxi-

maxime perniciosos errores incide-  
mus; si vero Dei voluntatem executi-  
fuerimus, ille ut Pater, & creator no-  
ster, nihil de nobis statuet, quod nobis  
vtile, & salutare non sit, immo vero  
etiam aptum, & accommodatum no-  
bis, quoniam ipse noscit figmentum  
nostrum.

Hæc igitur & alia in hanc sententi-  
am non solum Instructori vtilia erunt,  
vt in hoc negotio magnum studium  
adhibeat, sed multo magis ei, qui facit  
exercitia, vt videat quo animo aggredi-  
debeat rem adeo necessariam.

IGIT VR, vt in hoc tractando ali-  
quis ordo seruetur, primò dicemus  
quales esse debeant, qui ad electionem  
admittuntur. secundò quales ij qui eos  
dirigunt. tertio quæ sint res, de quibus  
est electio. quartò quæ in ea regulæ ser-  
uandæ. quintò quis sit ordo, & praxis  
electionis faciendæ.

CIRCA PRIMVM, apertum est nō  
omnes esse admittendos ad electiouem  
status. Qui enim iam tenent statum de-  
terminatum, vt coniugati aut religio-  
si, non debent de hoc agere, sed tan-  
tum

tum iuuari debent, vt in suo quisque statu ad perfectionem tendat pro mensura gratiæ, quam ei Dominus Deus cōcedat. Qui autem adhuc statum non habent, non tamen omnibus indifferenter dari debet electio, vt habetur in septima parte Const. c. 4. lit. F. vbi dicitur quod non nisi paucis, iisque huiusmodi, vt ex eorum profectu nō vulgaris ad Dei gloriam fructus speretur. Igitur, qui vel incapaces essent huius perfectionis, aut quos constet habere passiones quasdam indomitas, aut malos habitus, qui videantur incorrigibles, non essent admittendi, nisi tam certa signa essent peculiaris cuiusdam gratiæ, vt hæc omnia suppleret.

Secundo præter naturam, & mores aptos, requiritur etiam, vt ille cui datur electio, eam ipse desideret, & petat. Et hoc omnino necessarium est, & nullo modo alioquin dari debet, multo autem minus ingeri & obtrudi non cupienti. Nam præterquam quod qui sic affectus est, omnia quæ ei dicentur, cum suspicione accipiet, & ideo iis iuuari nō poterit, est etiam ea causa, quod in elec*tione*

ctione facienda multæ & magnæ incidunt difficultates, etiam cum voluntas bona, & feruens est; quare multo erunt maiores, cum voluntas languet, & ideo nunquam eas superare poterit.

Tertio valde expedit, ut qui ingreditur electionem, studeat esse liber ab omni affectu inordinato, & plane ad omnia indifferens, ad hoc vero vnum inclinatus, ut sanctum Dei beneplacitum sequiatur, quodcunq; illud esse cognoverit. Quare si cerneretur eum nimis propendere ad diuitias, minus autem ad paupertatem, non esset bene dispositus, nec sperandus esset bonus exitus in electione. Ille enim affectus auersus à via perfectiori, & ad imperfectiorem conuersus, intellectum traheret ad ex cogitandas rationes tali affectui consentaneas. Accum, ut dici solet, quicquid recipitur, recipiatur ad modum recipientis, facile fieret ut existimaret illam esse Dei voluntatem, quę est ipsius voluntas. Oportet igitur ut perueniat ad tertium gradum humilitatis, qui ponitur in libro exercitorum, aut saltem ad secundum, cui comparando seruiunt.

unt meditationes de vexillis, & de tribus classibus & aliæ, de quibus infra dicetur, & ideo esset in iis meditationibus dintius retinendus, vt paulatim disponatur, ad hoc æquilibrium animi, partim conando propria diligentia, partim id à Deo petendo feruentibus orationibus. Quod ad si hanc resignationem & indifferentiam non peruerterit, tota tractatio de modo eligendi relinquenda est, & tunc si ita expedire videbitur, procedendum in reliquis exercitiis faciendis, vt si fieri potest, per ea ad maiorem maturitatem perducatur, vel post breue tempus finis eis imponēdus.

Quarto, omnium optima est illa dispositio, vt non modo non magis propendeat ad terrena retinenda, sed quo ad fieri potest, voluntatem suam semper infletere conetur ad id quod perfectius est. Nam licet reipsa non id electurus sit, quia fortasse Deus non eum vocet ad talem statum, tamen nihil ei nocebit, immo plurimum proderit tale desiderium; ac proinde in his exercitiis semper proponitur via perfectior, tamquam magis optanda, & à Deo pertenda.

tenda. In quo valde notanda est sententia quædam P. N. Ignatij, quæ inuenta est in quodam eius scripto, vbi ita ait, debere Instructorem ita disponere eum, qui est in exercitiis, ut omnino resignatus sit, tam ad consilia sequenda, quam ad præcepta, immo vero quantum in ipso est, magis inclinatus sit ad consilia, si id maius Dei obsequium fuerit: & addit, maiora vtique signa requiri ad statuendum quod ea sit Dei voluntas, vt quis in eo statu maneat, in quo satis sit seruare præcepta, quam vt viam consiliorum ingrediatur; quia Dominus tam aperte ad consilia exhortatus est, at vero in illo statu magna ostendit esse pericula.

Vltima est ea dispositio, quam idem P. Ignatius eodem loco præcipit, nempe vt qui facit electionem, colligat se totum intra se, & toto tempore quo durat hæc deliberatio, claudat sensus, claudat animum omnibus aliis rebus, nihilque velit videre, aut audire quod non de sursum sit. Quibus verbis duo indicantur. primum, vt anima non sinatur distrahi ad alias cogitationes, sed hoc vnum.

vnum agat, & huic vni intenta sit, cæteris omnibus negotiis à se reiectis. Alterum est, vt in hac deliberatione non admittat rationes, quæ non sint è cœlo, id est nullas admittat, quæ sapiat carnem & sanguinem, aut aliquid humanum ac terrenum, quia omnia manare debent ex uno illo principio, quod est desiderium gloriæ Dei, & exequendi eius voluntatē. hic enim est verus ille sumptus ad ædificandam turrim, de qua est in Euangeliō, & hoc magnam animæ fiduciam affert, quod Deus non sinet eam decipi, quia cum eum in toto corde, & in veritate querat, nunquam se Deus ab ea auertet, cuius scilicet tanta est bonitas, & amor in suam creaturam, vt etiam occurrat sæpe non querentibus. Quod licet ita sit, & ea sit perfecta elec̄tio, ad quam solius Dei amor impellit, tamen si præcipuus quidem esset amor Dei, sed præter illum aliquid etiam accederet quod eodem inclinaret, modo non repugnans Dei legi, ac voluntati, & ex sua natura bonum, utputa consolatio propria, & quies spiritualis, ratio valetudinis, aut aliquid eiusmodi, non pro-

propterea improbāda esset electio. Hæc tamē oporteret semper minus esse præcipua, & minus præcipue mouere, & hæc ipsa ad Dei amorem referri.

CIRCA SECUNDVM, officium eius, qui tradit exercitia in hoc particulari negocio, est cooperari motioni diuinæ, eamque non præire, sed sequi, & ad hoc disponere animam eius qui facit exercitia, remouendo impedimenta, nempe errores, dolos, affectiones, atque inclinationes inordinatas. Non debet eum mouere vel ad vnam, vel ad aliam partem, vt dicitur in 15. annot. ex priorib. Etsi enim ex natura sua licitum est, ac meritorium etiam hortari ad perfectionia, tamen vt eiusmodi deliberationes solidius fiant, & sine vlla humana persuasione, multo melius est permittere, vt solus Deus cum sua Creatura tractet, nec aliquis tertius intercedat; & hoc maxime in exercitiis, vbi se anima ad hoc ipsum disponit. Ratio huius est, quia electio tantæ rei, vt est status vitæ, non debet nisi persuasione, aut inductione humana, sed sola Dei voluntate alioqui metuendum esset illud, quod

E Domi-

Dominus dixit, Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Et cum in eiusmodi via per se ardua, & deinde Dæmonum inuidiæ exposita, sine dubio secuturæ sint multæ tentationes, ac difficultates, non potest ullum auxilium, ac subleuatio expectari ab homine qui nos induxit, nisi leuemus oculos nostros in cœlum, & dicere possimus; Dominus solus Dux meus fuit, quoniam iuxta Apostolum sperandum est, eum qui dedit velle, daturum etiam perficere, & confirmatum usque in finem. Ex quo colligitur, eum qui dirigit in hac electione, debere ipsum quoque suo modo indifferenter esse, ut fideliter peragat opus, quod ei commissum, & creditum est, idque tantum respiciat & cupiat, ut Dei voluntas, & beneplacitum compleatur, nihil apponens de suo spiritu proprio. hoc enim est immittere falcem in messem Dei, & præterea posset aliquando præbere materiam temptationum exercitanti, quia maneret semper aperta dæmoni hæc porta, suggerendi quod hominis instinctu ad religionē inductus esset.

Per-

Per suadēat autem sibi illud tutum fore,  
ac sine periculo, quod indagauerit iuxta  
rēgulas sanæ electionis. Tantum di-  
ligens sit in subleuando, ac dirigendo  
quem Dominus eius curę ac fidei com-  
misit. Vigilet in detegendis fraudibus,  
& paralogismis Dæmonis, quoniam ex  
falsis principiis, qualia ille sugeret,  
sequetur non nisi falsa conclusio. A-  
nimaduertat etiam contingere sāpe, ut  
quis ingrediatur in electionem cum o-  
ptima dispositione, & tamen in ipso  
articulo eligendi insurgat in ipso ali-  
quis sinister affectus, qui omnia per-  
turbet, & suffocet bonum semen, &  
ideo cautus sit, & industrius ad hęc om-  
nia tum prouidenda, tum præcauenda.

CIRCA TERTIVM, illud certum  
est, rem omnem, quæ sub electionem  
cadat, oportere esse bonam, siue sit ne-  
gotium aliquod particulare, siue status  
totius vitæ. Electio autem status versa-  
tur circa duo, sit ne manendum in præ-  
ceptis, an progrediendum ad consilia: si  
consilia sequenda, num in Religione, an  
extra eam: Quanquam enim vix iam  
extra religionem seruari possunt, tamē

E 2                    potest

potest esse talis natura , vt non sit valde idonea ad communitatem vitæ , & obedientiam , & tamen possit seruare paupertatem & castitatem . Tertio , si in Religione , restat etiam in particulari quis ordo eligendus , quia alios vocat Dominus ad maiorem solitudinem , alios ad iuuandos proximos , & ipsa naturalis complexio vel corporis , vel etiam animæ alia alij instituto aptior est . Quarto , electa peculiari religione , deliberatur etiam de tempore , & de modo id exequendi .

In eligenda hac autem vel illa religione , cauendum est ; primo , ne eligatur aliqua iam corrupta , vel in qua non vigeat obseruantia . secundo , inter illas ipsas in quibus viget obseruantia , præferenda est ea , cuius institutum sit perfectius , in quo dijudicando est optima doctrina sancti Thomæ 2. 2. quæst. 188. art. 6. & habenda est maxime ratio personæ , non solum iuxta vires & propensionem , sed etiam iuxta dotes , & talents , quæ habet propter maius Dei obsequium . In tempore autem exequendi diuinam vocationem est interdum peculia-

culiaris difficultas, quoniam in his quæ repugnant sensui, solet humana infirmitas procrastinari quantum potest, & causas morarum innectere, seque ipsam decipere, querendo rationes differendi. Quare optimum est, hanc ipsam difficultatem proficere in exercitiis, & cogitare quod ait sanctus Ambrosius, Nescit tardus molima Spiritus sancti gratia. Imitanda est etiam promptitudo Apostolorum relictis statim retibus, & patre: valetque illa ratio, Si aliquando, cur non modo? & si non modo, fortasse nunquam. Nunc enim recens est Dei motio, & eius auxilium, postea vero facile fieri potest, & fit quotidie, ut refrigescat hic spiritus, & sic multo difficilius erit resistere pugnæ carnis, & diaboli. Et hæc de electione consiliorum.

Si quis vero eligat seruare præcepta, restat adhuc consultandum, in quo statu, aut in qua ratione viuendi ea seruet, quæ singula discutienda sunt, ut eo melius, & cum maiori luce vita instituantur.

Denique in aliis particularibus ne-

E 3 gociis,

gotiis, vt in suscipienda aliqua re, vel non suscipienda, vtendum est his iisdem regulis, sumiendo scilicet eam partem ipsarum quæ sufficit, pro qualitate rei. Modus autem, seu regula etiam in his omnibus particularibus actionibus, est omnia metiri ex Dei honore, nullo habito respectu ad proprias commoditates, maxime temporales, vt intentio semper in Deum recta sit, nec inflectatur ob aliquid terrenum.

CIRCA QVARTVM, declaranda sunt tantum tria tempora electionis faciendæ, quæ habentur in libro Exercitorum: nam his bene cognitis, nihil ferè aliud desiderari posse videtur.

Sed de primo modo pauca sunt dicenda, cum scilicet adeo clare constat de Dei voluntate, vt ne dubitari quidem de ea possit, pro cuius exemplo ponitur vocatio Matthæi, & Pauli. Et quamuis iam non contingent eiusmodi vocationes ita miraculosæ, tamen & legimus, & videmus quasdā, quæ quodammodo ad eas videntur accedere tanta claritate, & satisfactione spiritus, tamq; certa illustratione diuinæ voluntatis,

tatis, ut ne in has quidem videatur cādere posse dubitatio. Sed hic modus nimis extraordinarius est, nec cadit sub regulam: & ideo nec à Deo petendus, aut expectandus est, & ob hanc etiam causam, cum tam rarus sit, non multum est in eo insistendum, & tantum obiter declarandus ei qui facit exercitia.

Secundus igitur modus est magis ordinarius per inspirationes, & motiones internas in voluntate, easque tam efficaces, vt sine ullo intellectus discursu, aut fere nullo, voluntas feratur ad Dei seruitutem, & ad perfectionem.

Tertius modus procedit per viam intellectus, nempe ratiocinādo, & ponderando rationes pro vna, & pro altera parte, & demum eligendo id, quod omnibus perpensis melius iudicatur. Itaque etiamsi hæc duæ potentiaz animæ ita coniunctæ sint, vt vna sine altera in eligendo operari non possit, est tamen hæc differentia, quod in priori modo voluntas præcedit, intellectus vero sequitur, & ab ea trahitur sine ullo suo discursu, aut cunctatione, in posteriori autem præcedit intellectus ipse,

E 4                    tam-

tamque multas rationes voluntati proponit, ut eam extimulet, & impellat in eam partem, quam iudicat meliorem. Et quidem hoc supposito, quod motio illa sit immediate à Deo, sine dubio hic modus excellentior est, & altior, quia etiam Aristoteles, ut refert S. Thom. ita ait, illis qui mouentur secundum instinctum diuinum, non expedire consiliari secundum rationem humanam, quia mouentur à meliori principio, quam sit humana ratio. Sed posterior via nempe per ratiocinationem, & discursum, est securior & tutior.

Pro notitia aut̄ prioris declarandum est exerceti se, quid sit cōsolatio & quid desolatio, de qua vtraq; agitur in tertia, & quarta regula discernēdi spiritus. Hęc autem consolatio non est habitus, sed veluti spiritualis passio data supernaturaliter, cuius natura est, ut dum præsens est, facile exerceantur actus virtutis, immo cum delectatione & gustu, & cū inflammatione affectus: contra vero facit, ut opera carnis desipient, & insuauia videantur. Eius partes, vel modi varij sunt, ut pax, & quiete quadam interior,

terior, gaudium spirituale, lumen, & clarior cognitio rerum diuinarum, lacrymæ, mentis eleuatio in Deum, spes in Deo fixa, sensus rerum æternarum, conuersio ad cœlestia, calor sancti amoris, & si qui sunt similes alij effectus, vel affectus, qui sunt omnes à spiritu bono. Desolatio contra est tristitia, perturbatio animi, spes in rebus, vel personis humanis, amor rerum inferiorum, ariditas, depresso, & euagatio mentis in res huius mundi, quæ sunt omnia à spiritu malo.

Hoc igitur posito, ad cognoscendum vtra ex duabus partibus, de quibus cōsultatur, magis placeat Deo, debet homo in se ipso notare, & animaduertere, quando sentit consolationem, ad quam partem eum inclinet consolatio, & tranquillitas animæ, & cōtra desolatio, cum eam sentit, ad quam partem eum magis inclinet. Et cum his temporibüs contrariis videat se moueri ad contrarios effectus, debet pro certo habere, nasci id ex principiis contrariis. Proprium enim est spiritus mali, inuadere animā tempore desolationis, eamque obrue-

E 5 re

re pusillanimitate, & tristitia, & torpo-  
re; contra vero proprium est boni spi-  
ritus, afferre animæ lætitiam, & tem-  
po-re lætitiae cum ea tractare, & in eam in-  
fluere. Vterque enim dat ex eo quod  
habet, & quo abundat, ut constat ex re-  
gulis discretionis spirituum, præsertim  
quæ huic secundæ hebdomadæ conue-  
niunt, quæ valde opportunæ sunt hoc  
tempore & sine illis ferè ambulabitur  
in tenebris. Est etiam alter modus, &  
praxis huius rei, quam ponit P. N. Ignatius  
illa similitudine eius qui præsentat  
Principi suo genus aliquod cibi, ut ex-  
ploret quām ei arrideat. Sic anima cūm  
profunda humilitate, & feruentia amo-  
re, ac desiderio gratificandi Deo, offre-  
rat ei diuersis temporibus modo vnam  
modo alteram rem, obseruans quæ-  
nam ex illis à Deo magis accipiatur,  
& admittatur, dicens semper, Domi-  
ne quid me vis facere? Quod non  
solum ore, aut leuiori mentis affe-  
ctu, sed toto corde, & multis cordi-  
bus, si tot haberet, ei dicendum, & sen-  
tiendum est.

Porrò inter alia indicia diuinæ vo-  
lun-

Juntatis vocantis ad statum perfectio-  
rem, illud est optimum, si anima sen-  
tit tibi promitti tantum pecuniæ spiri-  
tualis, quantum necesse sit ad ædifican-  
dam hanc turrim Euangelicæ perfe-  
ctionis, id est si sentit labores huius vi-  
tæ, qui aliis ita graues videntur, & ip-  
simet antea ita videri solebant, nunc le-  
uiiores, & faciliiores reddi, sic, ut volun-  
taria paupertas, vel abnegatio propriæ  
voluntatis, vel castitatis obseruantia,  
& reliquarum virtutum exercitatio,  
iam non adeo grauis ei videatur, ut de  
se ipso scribit S. August. in libris Con-  
fess. Secundum est indicium, si hæ co-  
gitationes pergunt semper mouere ad  
bonum. Satanas enim licet ab initio  
dissimulet, in progressu tamen non po-  
test diu se celare, quin incipiat depro-  
mere suum venenum. Denique de e-  
iusmodi signis boni, vel mali spiritus,  
optime, & valde dilucide agitur in re-  
gulis discretionis spirituum posterio-  
ribus lib. Exercitorum, agit etiam Ger-  
son in libro de probatione spirituum,  
& Bonauentura de processu relig. ca-  
pite 18.

E 6

Atque

Atque hæc hactenus de secundo modo electionis : in quo si ita constet de diuina voluntate , vt anima planè confirmetur, & stabiliatur, nec desideret maiorem certitudinem , potest hic conquiescere; sin vero non sufficiat , poterit progredi ad tertium modū. Hic autem bipertitus est ; nam in prima parte sunt sex illa puncta , in secunda quatuor. Si ergo in priori non fiat electio, veniendum est ad posteriorem, qui est vltimus modus , qui in hac materia tradi possit. Pro hoc autem modo , sicut etiam omni tempore , quo durat electio , requiritur tranquillitas animæ, quoniam tempore turbationis non est locus electionis , cum scriptum sit Ecclæs. 2. Ne festines in tempore obdutionis. Quare qui hanc tranquillitatem in se non sentiret, satius esset vt progre diatur in meditationibus, donec tempestas deferuerat , & redeat serenitas, quoniam dum turbida est aqua , nihil in ea perspici potest. Supposita ergo hac tranquillitate, proponenda sunt ex vna parte commoda, ex altera parte incommoda prouenientia ex ea re , de qua agitur,

gitur, & singula bene æstimanda, & examinanda, ut videatur quænam præponderent. Tantum illud obseruandum, & actuandum hic, quod supra attigimus, nempe has rationes, quæ ad deliberationem adhibentur, debere omnes proficiisci ex illo principio diuini observiquij, nec admittendos esse in hac consultatione respectus humanos, aut terrenas cogitationes. Notandum est etiam quod hic tertius modus non solum tunc adhibendus est, cum in secundo modo nihil conclusum est, sed etiam si facta sit electio, confert ad eam magis confirmandam & stabiendiā. Si enim anima certa esset, quod illa motio secundi modi esset à Deo, sine dubio nihil ei esset amplius requirendum, sed quia Angelus satanæ transfigurat se aliquando in Angelum lucis, ideo hæc generalis regula esse debet; valde periculose esse, cum homo vult se gubernare tantum per motus voluntatis, & sensus quosdam interiores, non adhibendo considerationem debitam. Et ideo probatio & examen fieri debet per lumen, quia ut dicit Apostolus, omne quod

E 7

mani-

manifestatur, lumen est. Hoc autem lu-  
men post lumen fidei est etiam ipsa hu-  
mana ratio, adiuta tamen, & illuminata  
lumine fidei, quæ ipsa quoque à Deo  
est, & non potest vnum repugnare al-  
teri, quia necessarium est ut verum ve-  
ro consonum sit. Itaque hoc etiam si-  
gnum est spiritus mali, quando refugit  
hoc examen, quia amat tenebras, & non  
vult venire ad lucem, ut non arguan-  
tur opera eius. Hanc igitur ob causam  
hic modus eligendi securior est, quia  
ratio fide illuminata, & Ecclesiæ Catho-  
licæ doctrina instructa, suo officio fun-  
gitur, & cum totas vires suas, & quic-  
quid potest exponat in inquirenda Dei  
voluntate, fideliter facit quod in ipsa  
est. Si vero ad has rationes adiunga-  
tur etiam experientia, quam quis ha-  
beat suæ infirmitatis, ut manifeste sen-  
tiat salutem suam in sæculo exponi ma-  
gno discrimini, non est dubium, quin  
securius etiam res procedat. Quòd si  
præterea rationes istæ confirmentur  
per aliqua signa secundi modi, quæ su-  
perius diximus, nempe pacis consola-  
tionis, aut gustus, tum vero anima ma-  
iorem

iorem etiam satisfactionem , & claritatem accipit.

Quæret aliquis , quid faciendum sit, si forte contingat, vt secundo tempore in aliquam rem inclinemur , tertio vero tempore in alteram ei contrariam, vel dissimilem. Respondemus, esse diligenter rem examinandam per regulas discernendi spiritus , & per rectam rationem , & æstimandum pondus rerum mouentium utroque modo. Quòd si constaret clare, quòd ratio astipulatur electioni tertij temporis, securius est eam sequi, quia non est certum, an motio illa secundi temporis sit à Deo, & tunc maxime cum ratio aliud suadet. Contra vero si rationes , quæ tertio tempore mouent, essent debiles, motiones autem secundi temporis bene examinatae iuxta regulas videntur esse à Deo , & recta ratio eis non repugnat , tota electio secundi temporis est præferenda. licet enim prius clare non constaret per eam de Dei voluntate, tamen rebus melius agitatis , & discussis, accedente rationis testimonio potest fieri ut constet.

R E-

RESTAT NVNC VLTIMVM, nempe tota praxis, & ordo proponendi electionem, & manuducendi eum, qui facit exercitia.

In primis igitur hoc valde notandum est, quod etiam supra indicauimus, iam tum ab initio huius secundæ hebdomadæ incipere disponi animam per meditationem illam de Regno Christi, quæ mentem erigit à terrenis & fluxis, ad Saluatoris imitationem desiderandam, quæ quidem dispositio alenda est semper deinceps in eo qui se exercet, excitando eum, & dirigendo ad id quod perfectius est, per reliquas meditationes, ut Natiuitatis, Circumcisionis, & alias, in quibus ita instruendus est, ut concipiatur desiderium assimilandi se filio Dei, & præterea quam maximam possit erga eum gratitudinem, qui tanta nobis dedit, & tanta pro nobis fecit.

Deinde, quarto vel quinto die inchoantur meditationes electionis per illud exercitium pueri Iesu, cum remansit in templo, in quo, ut dicitur in libro exercitiorum, cœpit dare exemplum huius Euangelicæ perfectionis, quan-

quando patre putatiuo, & naturali ma-  
tre relictis, voluit occupari in iis quæ æ-  
terni patris essent.

Igitur ad disponendam animam elec-  
tioni faciendæ, post hanc meditatio-  
nem datur primo exercitium duorum  
vexillorum, deinde eodem die medita-  
tio de tribus hominum classibus, quæ  
ad hoc tendit, vt iuxta eas exercitans se  
examinet, & cognoscat affectum suum  
erga res mundanas, & si in prima, vel  
secunda classe se deprehenderit, cone-  
tur sibi vim facere, vt se transferat in  
tertiam.

Ad maiorem autem intelligentiam  
harum trium classium, notandum est  
hoc in omnibus supponi, modum illū,  
quo pecunia illa acquisita est, non esse  
illicitum, ita vt obliget ad restitutio-  
nem. Nam alioquin non posset homo  
indifferens esse ad eam retinendam, vel  
relinquendam; quod tamen dicitur in  
tertia classe. Est ergo hic modus, vt  
quando v.g. aliquis ex nimio studio lu-  
cri, vel ex aliquo alio affectu humano,  
& vitioso negotiatur. Secundo notan-  
dum, primam & secundam classem ita  
inter

inter se differre, quod vtraque habet  
quidem voluntatem quandam infir-  
mam, & remissam exuendi affectum ad  
rem illam, sed prima classis nulla un-  
quam adhibet media, nec cogitat de  
mediis, secunda vero aliquid amplius  
facit, quia adhibet quidem aliqua me-  
dia, sed quæ ipsi placent, nō autem iux-  
ta Dei voluntatem, ac beneplacitum, &  
ideo videtur sibi parata omnia alia fa-  
cere, præter illud, vt priuetur re illa  
quam amat. tertia porro ad hoc etiam  
parata est, si Deo ita placeat, idque tan-  
tum inquirit an placeat. Et sic patet to-  
tam hanc meditationem eo tendere, vt  
ostendat animæ quam turpe, & per-  
uersum sit, si non solum exuere nolit  
inordinatas cupiditates, sed si velit qui-  
dem eas exuere, sed eo modo velit, quo  
ipsi libeat, & se non resignat in mani-  
bus Dei. Ex quo apparet illam esse vo-  
luntatem admodum debilem, quia ve-  
re vult, & non vult. Vnde quia res hæc  
tanti momenti est, præsertim ad dispo-  
nendum animam electioni iam vicinæ,  
posset etiam exercitans ad maiorem  
claritatem, præter hanc similitudinem  
trium

trium mercatorum, effingere sibi alias similitudines eiusdem tenoris, vt v.g. si essent tres agricoli, qui sanari quidem omnes cupiunt, sed primus nolit adhibere medicinas vias propter earum amaritudinem, nec abscissionem porpter dolorem; secundus velit quidem adhibere, sed quas ipse probet, ac iudicet, non eas quæ aptæ sunt eius morbo, vt v.g. si nolle abstinere à vino, aut similibus. tertius denique se totum medico permittat, vt & dietam imperet, & vrat, & fecerit ipsa etiam membra si opus sit.

Porro simul cum his duabus meditationibus, quas diximus, népe de duabus vexillis, & de tribus classibus, vel si ita melius videatur sequenti die, post meditationem de transitu Christi à Nazareth, & de eius baptismo, proponuntur exercitanti tres gradus humilitatis, vt, quemadmodum dicitur in libro Exercitorum, toto die eos animo verset: simul tamen unum, vel duo mysteria vitæ Christi eodem die, sicut in reliquis diebus, meditanda sunt. Nam hi tres modi non dantur pro certa hora

hora alicuius meditationis, cum non  
contineant nisi vnum punctum præci-  
puum, scilicet desiderium attingendi  
tertium illum gradū humilitatis, quod  
toto die mente reuoluendum est extra  
meditationem; immo etiam in medi-  
tatione opportuno tempore, adhibito  
triplici illo colloquio de vexillis, ut ibi-  
dem dicitur.

His peractis accedendum iam pro-  
pius est ad electionem, & in primis de-  
clarandum præludium electionū, quod  
fere coincidit cum fundamento posito  
ante exercitia, & ideo, qui bene illud  
meditatus fuerit, nullam in hoc habe-  
bit difficultatem. Interim Instructör  
exploreit voluntatem exercentis se, an  
habeat indifferentiam, de cuius necef-  
sitate supra locuti sumus, & si magis  
propendere ad imperfectiorem statum  
animaduerterit, explicit ei illud nota-  
bile, quod est in exercitiis post tres clas-  
ses, ut scilicet qui sentit affectum repu-  
gnantem paupertati reali, petat à Deo,  
ut ipsum potius inclinet in illam par-  
tem. Cuius ratio est, quia virga incurua  
flectenda est in contrariam partem, vt  
dein..

deinde manens in medio , fiat recta :  
quod præsertim locum habet in hac  
materia , cum illa pars sit securior , &  
hoc nihil impedit vel Dei voluntatem ,  
vel libertatem nostram. Hoc ergo sup-  
posito, pergendum est in meditationi-  
bus mysteriorum Christi , quæ sunt in  
libro Exercitiorum , & simul vacandum  
electioni : ad quam dirigendam , dandi  
sunt tres illi modi recte eligendi voce  
vel scripto , vt magis videbitur Instru-  
ctori..

Electio autem ita peragenda est , non  
vt exercitans meditetur tres illos mo-  
dos toto tēpore meditationis , sed post  
peractam vnamquamque meditatio-  
nem , vel in aliqua eius parte , cum ani-  
mus iam quietus est , tunc tempus pro-  
prium est agendi , & ratiocinandi circa  
rem propositam . Et ideo diligenter cu-  
randum est , vt meditationes , quemad-  
modum diximus , de Christi vita dili-  
genter fiant suo tempore . Nam si quis  
omissis suis meditationibus vellet se  
totum dare cogitatioi de electione sta-  
tus , non bene faceret , idq; ei damnum  
afferret , quia per meditationes anima  
cor-

corroboratur, & illuminatur, & eleuatur à terrenis, vnde sit aptior ad Dei voluntatem, & cognoscendam, & amplexandam, & ad superanda omnia impedimenta; & contra, si cessaret à meditando, obscurior fieret, & infirmior. Quare, vt dictum est, dandum est suum tempus meditationi diuinorum rerum, quæ pro varietate mysteriorum occurrunt, & suum deinde tempus electioni, ne si anima tota occupetur in hoc negotio, hæc vna cogitatio exsugat, & exhauriat quodammodo succum & florē deuotionis, & ita reddatur languidior.

Quod si adhuc magis in particulari queratur, quomodo hoc faciendum sit; dicendum, quod si in secundo modo eligendi versetur, debet qui deliberat, sine vlla sua ratiocinatione, aut discursu adhibito, dum facit meditationem, aut colloquia, & in summa dum constitutus est ante Deum, proponere oculis mentis suæ viam consiliorum, & obseruare an sentiat in anima sua motus aliquos cōsolationis, aut desolationis. Deinde proponere sibi tam mandatorū, & hoc idē circa eam obseruare. Nec est ad

ad hoc necessaria particularis meditatio, ut paulo ante dictum est, sed sufficit hec facere dum versatur in meditationibus, & orationibus consuetis. Et hoc idem faciat extra tempus meditationis proponendo hoc modo dicto, & obseruando motus prædictos; nihil discurrendo per se, sed tantum audiendo vocem Domini, & se ad eam audiendam, & ad motum illum accipiendum disponendo quantum poterit; maxime renouando sæpe resignationem, & desiderium cognoscendi diuinum beneplacitum, & hoc semper curando, ut casset omnis propria voluntas, aut inclinatio. Cum autem venerit Instructor, exigat ab eo rationem huiusmodi motionum, & si boni vel mali spiritus signa deprehendat, vtatur regulis de discernendis spiritibus, sed iis præcipue, quæ secundæ hebdomadæ conueniunt, & declaret ei, quantum satis esse iudicabit ad ipsum dirigendum, vel erigendum si opus fuerit. Et si bene procedere hac via videbit, alia meditatione proposita hortetur, vt eandem viam teneat circa electionem pro-

propositam, ut experiatur an durent e-  
ædem motiones, an aliæ contrariæ suc-  
cedant. quod si contrariæ occurſerint,  
conetur discernere per prædictas regu-  
las, quæ ſint bonæ, quæ malæ. Si hoc  
modo ſecundi temporis non confici-  
tur electio, quia qui exercetur nullam  
notatu dignam motionem in ſe ſentit,  
vel ſentit in vtramque partem, adhi-  
bendi ſunt modi tertij temporis, prior,  
& posterior, qui ei declarandi erunt, ut  
cum priori modo aliquid constituerit,  
idem deinde expendat posteriori, & ſi  
idem resultet ex utroque, id bonum ſi-  
gnum eſt bonæ electionis. Hoc autem  
tertio tempore poterit dari vna tan-  
tum meditatio ex iis, quæ ſecunda heb-  
domada proponuntur cum ſua repeti-  
tione, ut reliquum tempus impenda-  
tur electioni, idque videtur innui in  
libro Exercitiorum per exemplum cō-  
templationis baptismi, quæ ponitur  
quinta die. Quanquam cum hoc non  
præcipiatur, credi potest, quod permit-  
titur Inſtructori, ut vnam vel duas in die  
det meditationes, ut viderit exercitan-  
ti magis profuturum, pro difficultate  
quam

quam sentiat, & prout indigeat tempore ad faciendam hanc discussionem. Moritodus etiam erit, vt notet scripto rationes, quæ se offerunt pro vtraque parte, idque seorsim. Nam rationes omnes cuiusque partis simul collectæ magis veritatem ostendunt, & maiorem vim habent ad mouendum. Has vero cum Instructore conferre debebit, vt ab eo melius dirigi possit.

Porro illud etiam cauendum Instructori, ne in hoc negotio per se tam difficulti, & laborioso nimis obruat exercitantem, nec semper eum stimulet, & fatiget; quin potius sinendus est aliquando respirare, ne semper affligatur, aut absorbeatur tristitia, aut tedium, & desperatione abiiciat seipsum, quod tunc maxime metuendum est, cum præter propriam infirmitatem, & repugnantiam carnis, accedunt etiam dæmonum impugnations. difficile est enim releuare eiusmodi cor, cum semel considerit. Immo vero, etiamsi quis cerneretur minus prompte respondere diuinæ voluntati, nec se vincere, ut deberet, sustinendus tamen patienter esset, &

F ex-

expectandum, ut paulatim, & quasi pendentim superet obices illi oppositos; & in hoc etiam imitandus mos diuinæ bonitatis, cui cooperamur, quæ omnia suauiter disponit, & longanimitate expectat animæ moras in veniendo ad eum.

Denique hoc etiam aduertendum, quicquid eliget secundo, vel tertio tempore, ne votum ullum emittat, ut dicitur annotat. decimaquarta, & præsertim in secundo tempore. Sæpe enim in illo calore, vel consolatione fiunt vota, quæ deinde displicant: & hoc præsertim seruandum cum iis, qui natura sunt feruenti & præcipiti, vel parum stabili. Sed tamen si electio facta esset maturo consilio, ut cum magna claritate, & indiciis haud obscuris diuinæ vocationis, præsertim si ætas, aut natura hominis non esset suspecta, & hic suam electionem voto firmare cuperet, vt se melius muniret contra oppugnationes carnis, & mundi, & Satanæ, non potest Instructor nec debet eius deuotionem impedire, sicut nec ad id nulla ratione impellere.

Vlti-

Vltimum est in hac electione id, quod in libello exercitiorum ponitur in vltimo punto, vt homo post conclusam electionem, ad orationem se conferat. Quo tempore si senserit, mentem suam confirmari in electione iam facta, sentiendo in se motiones aliquas, vel illustrationes desuper immisgas, ita vt Deus approbare videatur, quod factum est, & promittere vires ad exequendum, id est optimū indicium, & haberi debet tāquam sigillum totius electionis. Si vero motiones, vel affectus, vel illustrationes intellectus eiusmodi essent, quæ infirmarent electionem factam, & examinatæ iuxta regulas suprapositas, viderentur à malo spiritu, vel saltem essent dubiæ, non est mutanda electio. Si autem clare appareret esse à bono spiritu, signum est discursum non fuisse bonum, & electionem denuo faciendam. Quod si in hac oratione nihil in vtramuis partem notabile accideret, nec in affectu, nec in intellectu, & voluntas eligentis in suo proposito perseverat, non est electio in dubium reuocanda, sed ita putandum.

E 2. est

est voluisse Deum per discursum rationis voluntatem suam inueniri.

Cæterum illud quoque interdum, contingere solet, vt exercitans hallucinetur in electione facienda, & licet Deus illum vocet ad vitam perfectiorem, ipse tamen vel propter dæmonis deceptionem, vel propter propriam infirmitatem imperfectiorem eligat, idque à Spiritu sancto esse putet, nec ab eo dimoueri possit. Tunc igitur prudentiæ est, vt Instructor non multum reluctetur, quod frustra facheret, sed neque ex altera parte confirmet electionem factam, ac potius ostendat sibi non valde satisfecisse, sed sperare quod progressu temporis Dominus ei clarius indicabit voluntatem suam, & sic eum relinquat aliquantum dubium, & incertum de tali electione, deinde etiam instruat quomodo disponere se debeat, ne aditum claudat diuinæ luci. Sæpe enim experientia monstrauit, quosdam, qui in ipso conflictu exercitiorum succubuerant, deinde extra exercitia commodius veritatem agnouisse, idque ex iisdem principiis, quæ hauserant in ipsis.

exer-

exercitiis; siue quia dæmon acrius oppugnat in illo articulo electionis; siue quod natura ipsa, præsertim in iis qui timidiores sunt & pusillanimos, ut in illa quasi agonia quodammodo opprimitur & suffocatur, ita cū deinde quodammodo respirat, est melius disposita ad ratiocinandum, & percipiendum lumen Dei; siue denique, quia experientia deinde cognoverunt, se non eam vitam posse in sæculo tenere, quam fortasse in exercitiis vel ipsis sibi finxerant, vel eis dæmon persuaserat.

*De iis qui iam statum habent.*

CAPVT XVI.

POST TRACTATIONEM de electione ponitur à nostro Patre methodus quædam de emendatione, seu reformatione vitæ: quæ doctrina maximi momenti est pro iis, qui iam sunt in statu immutabili, vel saltem quos Deus non vocat ad mutationem status. Per hanc enim reformationem tolluntur multi abusus, qui etiamsi non sint peccata, saltem sunt origo multorum